

**V**biq; ferme cū de parochis sermo incidit, scriptura vitā doctrinæ copulat. Nimirum q; qui vitam agit doctrinæ contrariam, plus exemplo destruit q̄ ædificet verbo. Oportet em̄ & fieri sermonē non tantū dici, alioqui competet in parochū quod Seneca Platoni obiectum fuisse refert: Aliter loqueris, aliter viuis. Et quod Christus pharisæis imputat: Dicunt enim & nō faciunt, Alligant onera importabilia in humeros vestros, digito autem suo nolunt ea mouere. Apponatur ergo manus ori necesse est, ne sit vox quidē, vox Iacob, manus autem Esau. Porro vox operum fortius sonat quam verborum, Intuendus nobis pastorum princeps est, cuius tota vita sua doctrina est, Qui cœpit primum facere, post docere. Siquid in potens opere & sermone, Qui discipulos Iohannis de aduentu Messiæ rogantes, ad opera remisit, dicens: Ite, dicite Iohanni quæ vidiistis & audistis. Qui denique non solum vocat oues suas nominatim, sed & vadit ante eas. Et eum tantum qui sic docuerit & fecerit, magnum in regno cœlorum fore pollicetur.

Matth. 23

Gen. 27

1. Pet. 2

Acto. 1.

Luc. 14

Matth. 11.

Iohan. 10

Matth. 5

## Pastorem gregis exemplum esse oportere. Cap. III.

**Q**Vare beatissimus Paulus ecclesiæ ministrum instituturus: Exemplum (inquit) esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Itidem ad Titum. ij. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Sal enim terræ & lux mundi, prædicator Euangelij dicitur, & lucerna super candelabrum posita, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic, vt videant homines opera illius bona, & glorificent patrem, qui in cœlis est. Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur: ad nihilum enim valet vltra, nisi vt projiciatur foras & conculcetur ab hominibus. Apostolus itaque hoc præceptum commendat Timotheo, vt militet bonam militiam, habens non tantum fidem, sed & bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus tum erant Hymenæus & Alexander, quos tradidit Satanz, vt discant nō blasphemare. Interea vero ex eodem numero omnes hæretici fuere.

1. Timo. 2

Ad Tit. 2

Matth. 5

1. Timo. 1.

## Vitanda parocho in primis avaritia. Cap. IIII.

**I**Am, quæ clericis vitanda erunt, supra diximus. Ea ipsa potissimū Paulus quælongissime a parochis esse vult, & quæ illis opposita sunt, in ipsis quæ maxime elucere. Primum scilicet, vt abstineant ab omni avaritia. Hospitales enim erunt, non turpis lucri cupidi, non opes, sed animas venantes, non auri, sed hominum piscatores. Alioqui ex pastoribus fient mercenarij, & vententur in lupos, audientq; dominum per Ezechielem exprobrātem: Lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat, occidebatis, gregē autē meum

1. Timo. 3

Tit. 1.

Matth. 4

Ezech. 34